

42

11 202-23



ILLUSTRISSIMO,  
 ET  
 REVERENDISSIMO  
 DOMINO  
 D. IOSEPHO  
 BERMUDEZ,

IN ASTORGIENSEM EPISCOPUM  
 NUPER ELECTO.

ALUMNI HIBERNORUM COLLEGIJ COMPOSTELLANI  
*illius observantia deditissimi, sequentibus Modulis  
 gratiosè Plaudunt.*

O D E

SIC est: cum sapiens Turba Fidelium  
 Quemquam præcipuo nobilitat gradu,  
 Non hunc promovet illa,  
 Quem laudis vehemens amor.

Viget, vel proprij gratia commodis  
 Nec qui gloriolam concupit, ut sua  
 Vivat sorte superbus  
 Cum longo comitum ordine.

A

Sed

Sed quem iustitiæ purus amor rapit,  
Divinique vocat Gloria Nominis,  
Is dignandus honore  
Fertur vocibus omnium:

Et quamvis renuat propositum decus  
Amplecti, tamèn hic non poterit volens  
Declinare suarum  
Virtutum data præmia.

**B**ERMUDEZ, quoniam te pietas tuas  
Et summæ Triados grata benignitas  
Evexere merentem

Ad tam grandia munera;

**H**oc cur te pigeat? quin potius iuvenet?

Ut nos, more sacro qui venerabimur

Lucem, quæ fuit huius

Primùm nuncia gaudij:

ingens tanta quidem est, celsaque dignitas,

Sed cum te gravitas, & patientia,

Et mens conscia recti

Tantæ reddit idoneum,

**N**on sis sollicitus; nec quid amantibus

Tu desiderij demeprioris, hoc

Dum te tollere honore

Certarunt; id enim sibi.

Cre-

**C**redabant; alijsque, & tibi prosperum:  
Nulli prosperius quam memorabilis  
Astorgæ Populo, quem  
Præsul propitius reges:

**N**obis nullus erit iam timor, inquit,  
Nostri pestiferis de gregis hostibus,  
Cum nos faulta IOSEPHI  
Defendet Reverentia:

**N**ullum flagitij dedecus, aut grave  
Nos vnquam inficiet crimen, in omnibus  
Vnà sponte IOSEPHI  
Virtutes imitabimur.

**E**n vultus! speculum est, quanta licet bona  
Hinc disci, pariter tanta licet mala  
Dedisci. Nihil illum

Mutat; semper amænus est:  
**E**n gestus! (quid eo pulchrius in viro?)  
Est vultus similis, neuter vtrilibet

Impar; dignus vterque  
Magni Antistite numinis.

**A**t si divitias pectore conditas  
Indagare queas, hoc magis æstimes,  
Nos dicaſque beatos,  
Queis istas reſeraverit.

**C**lamant: quis modò sit lætitiæ locus  
Tantis delicijs cum fruimur, novo  
Gratamurque Parenti,

Quis sit lætitiæ modus?

**Q**uandò sancti colunt júbila proximi,  
Septenni spatio quæ semel offerunt,  
Nos, & festa colimus  
Hoc pro munere júbila:

**I**gnes astra perant vndiquè missiles  
Et flammis crepitent ardua montium,  
Clangentquè per vibes  
Certatim resonent tubæ.

**S**ic te, sic hilaris plebs tua prædicat  
BERMUDEZ, varijs plausibus accinens,  
Quod tu Præses eorum,  
Illi quod tibi subditi.

**I**, felix, igitur, Pastor, oves tuas  
Per multas series temporis edoce  
Vanum spernere mundum,  
Cælum vnum sibi quæreres;

**E**xemploquè tuo sedulus attrahe,  
Ut tandem positis corporibus, boni  
Ad Pastoris ovile  
Tuti accedere non tremant.

IN

IN EIUSDEM CELEBER-  
rimi Viri Nomine.

ACROSTICHIS.

**I**nsigni cum tu nuper celebreris honore,  
O Lumen Patriæ, deliciæquè tuæ;  
Summa tibi pietas quos fœdere iunxit amico  
E dunt lætitiæ plurima signa suæ;  
P ar equidem est reliquos etiam nos inter amicos  
Hoc tibi gratari, clare IOSEPHÈ, decus  
U berior nobis gratandi causa videtur,  
Summa quibus bonitas sæpè probata fuit.  
B landiri minime volumus, sed reddere iustos  
E x animo quos non fingimus atte modos.  
R egnum hoc fœlici quod te donatur alumno,  
M irans virtutes prædicat vsque tuas  
U na tibi virtus alias supereminet omnes,  
D ignumquè æterno te facit vna Deo.  
E s pius, es doctus, clemensquè, hoc nomine magnus  
Z elus maiorem te tuus, alme, facit.

IN EVNDEM  
EPIGRAMMA.

**O** Disti vanos mundi fallacis honores,  
Atque tibi generis gloria spreta fuit:  
Te major remanebat honor, te gloria maior,  
Quàm vel divitiæ, vel tibi sceptra darent.  
Numque licet Satrapæ magna est, regisque potestas,  
Numquàm Pastoris non erit illa minor.  
Te Satrapam ritu fecit natura paterno,  
Sed Pastor meritis factus es ipse tuis.  
Et decet à Proavis clarum deducere nomen,  
Crede magis per te promeruisse decet.

*ALIVD.*

IN ILLUSTRISSIMAM  
Apostolicam, & Cathedralem  
S. IACOBI Ecclesiam Com-  
postellanam.

**S**ublimis, veneranda ædes! quam gloria summi  
IACOBI claram, tempus in omne facit:  
Alma Sacerdotum Nutrix, celeberrima semper,  
Quos ingens virtus, ingeniumquè colunt.

Penè

Penè iaces impos; meritis nèc grandia natis  
Pastorum, vt quondàm munera ferrè potes.  
Vndè tibi auxilium? nativo tactus amore,  
Eccè diù absentem fert tibi SCOTUS opem:  
Et geminos summi in notos ob mentis acumen  
Illustres Sacti reddit honore Pedi.  
Hiberni hoc gaudent hilares, Scotoquè vicissim  
Plaudunt, quod tanti causa favoris erat.  
Genti vtrique suam Gallecia præbuit ortum,  
Vtraque Genus Matrem debet amare suam.

**V** O D E A L I A.

Virginis doctæ Lyra nata Proles,  
Quæ doces montes choreis salire,  
Et notis vrges animata laxa  
Sede moveri.

Musica dulci celebres Iosephum,  
Causa vèl maior, meliorvè laudum;  
Non dabit posthac tibi se canendam  
Nec dedit olim.

Numen intendit renovare summum  
(Plaudimus cuncti) veteres favores,  
Et per immensum spatium, Iosephi  
Spargere nomen.

Ecce

**E**cce deiectus lacrymis relinquit  
Dulce solamen soliti recessus,  
Ecce zelanti sitiens amore  
Perdere famam.

**S**ed recordatur subitoque tollens  
Se voluptati propriæ quietis  
Mente sincerâ moritur sibi ipsi,  
Vivere cunctis.

**H**ic dies verè mihi festus atrox  
Eximet curas; ego nec pericla  
Hæresis vanæ metuam, nec acris  
Arma Gehennæ.

**E**cce quamquè audax animosa virtus,  
Nobilis sceptrò dominatur æquo,  
Quam scelus cernens gladio vibrato  
Sustinet armis.

**S**urgit à planctu viduata coniux,  
Surgit, & clamat querulis amicis  
Exulent tristes procul hinc querelæ,  
Vivit amicus.

**D**ives, & fortis ditione dextra  
Non premet tecti numerum miselli,  
Non opes, & vis socio ligata  
Fœdere vincent.

Æqui-

**A**equitas omni præerit favori,  
Hæc potestatem superabit omnem,  
Hæc pari dites, inopesque posthac  
Lance reponet.

**S**i cui maior referenda laus est,  
Ille qui clarâ pietate præstat,  
Cæteris vnus magis æstimandus,  
Semper habetur.

**O** nimis fœlix! nimis invidendus  
Lætus Astorgæ Populus, secundum  
Cuius hic scandet folium, docebunt  
Actaque verba.

**I**am sacræ leges, & amica legum  
Iura clamoros cohibent tumultus,  
Iam fides, & fas, & aperta læto  
Gratiæ vultu.

**M**unus implevi memoris Poetæ,  
Præbui versus, animi nitores,  
Clara virtutis celebris caterva  
Cætera præbent.



## EPIGRAMMA III.

**Æ**Ternus genitor mirans ab origine sæcli  
Vastatas soboles, obsita regna sua,  
Obsita pestiferæ cæcæ caligine noctis,  
BERMUDEZ misit: præmia missa fove.  
Splendescens virtus oculis mortalibus adstat:  
Adstat amica parens, fulget amica Dea:  
Et læto Probitas vultu moribunda revixit;  
Vivit, & excellens, ingeniosa viget.  
Undique non lustrans terram illustraverat omnem,  
Atquæ ubi non corpus, fama, decusquæ micant.  
Si tandem Pietas prodest, si palma Minervæ,  
Illustrem reddunt munera dicta IOSEPH.

## ODE III.

**S**IC polo Phæbus radiis<sup>ans</sup> in alto  
Dissipat nubes, gelidosquæ nimbos,  
Magna perfundit positisque subter  
Gaudia terris.

Sic refulgentes, reliquosquæ vincit  
Siderum honores, tacitoquæ gressu  
Ambulans pernox, niveis coruscans  
Cynthia flammis.

Haud

**H**aud secus virtus tua te IOSEPH  
Laudis ad culmen tulit, & merentem  
Te parem Lunæ iubarisque luci  
Fingit vtrique.

**G**estiant omnes, manibusque plaudunt,  
Te vocant Patrem Patriæ: puellæ,  
Et senes tardi, iuvenesque alacres  
Gaudia miscent.

**I**am tuos vultus Populus celebris  
Sperat Astorgæ, canit, & perennes  
Præsuli laudes tibi gratum ovile,  
Curaquæ blanda:

**F**lore humum sternet pedibus premendam,  
Atquæ od oratis redimita fertis  
Tempora accinget; rutilis micabunt  
Æthera flammis.

**I**psa nympharum saliens per agros  
Turma, dum laudes modulatur altâ  
Voce, frondentes resonant IOSEPHI En-  
comia sylvæ!

**L**aus tua est plectro, fidibusquæ nata;  
Facta Lesbois animanda chordis,  
Et tubâ dulci, veterisque digna  
Carminè Homeri.

Vix virum credet nituisse tantum,  
Scripta cum volvet soboles futura,  
Sancta proponens imitanda cunctis  
Facta IOSEPHI.

## EPIGRAMMA IV.

**E**RGÒ IOSEPHI, tuos meritò gratamur honores,  
Ad quos virtutis gloria fecit iter.  
Musa tibi memores grato modulamine versus  
Concinit, atque bonas læta precatur aves.  
Quas tibi persolvam grates? quæ carmina reddam?  
Munera muneribus nulla referre queo:  
Certet enim numeris Musarum docta caterva,  
Nulla dabit meritis carmina digna tuis.  
Applaudunt cuncti Ingenium, mentisque vigorem,  
Sufficiens, alio non comitante, decus;  
Nec dubitem vestræ dudùm hinc virtutis honorem  
Orbis ad extremas percrebuisse plagas.  
Hos ornat doctrina, illos sapientia tollit,  
Tu sapiens; ecquis doctior esse potest?  
Hæc sunt magna quidem, quæ pectore condis, at vnâ  
Virtutem reliquis credimus esse parem.

FINIS.



